PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 178v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



aut parum iustum ~~ac~~ aut iniustum que legislator non deter-
minauit ea non a litigantibus accipere sed per se ipsum iudi-
cem scire oportet. Maxime igitur conuenit ut que recte
posite sunt leges cuncta ipse determinet que determinari
queant et quam minima iudicibus relinquant. Primum
quia vnum aut paucos prudentes qui leges ferre ac iudi-
care possint facilius est inuenire quam multos. Deinde
quoniam longi temporis consideratione leges feruntur
cum iudicia breuissima conficiantur. Itaque difficile est
~~est~~ ut bene a ~~iudicibus~~ iustum et conducibile distribuatur.
Illud autem omnium maximum est: quod legum latoris iudicium
non de singulis nec de presentibus sed de vniuersalibus
de futuris est. Senator vero ac iudex de presentibus iam
determinatis quoque iudicant. Vnde fit ut cum et amant
et oderint sua quoque utilitas connexa sit. Non satis que-
ant veritatem perspicere sed propria vel voluptas vel dolor
iudicia sua obumbret. Quam minimam ergo ceterarum rerum
potestatem iudici tribuendam dicimus. Factum vero esse aut
non factum: et fore aut non fore esse quoque vel non esse.
Hec omnia cum non possit lator legis prouidere iudicibus
relinquenda necessario sunt. Que quoniam sic se habent
patet cum de exodio narratione ceteris quoque particulis quid
habere debeant precipiunt aliena remotaque ipsos precipere.
Nichil enim aliud his agunt nisi ut iudicem qualem
quendam efficiant presertim cum de artificiosa persua-
sione aut concertatione nichil afferant quod est ut
ostendant vnde quispiam enthimematicus possit fieri.
Id circo etiam cum eadem sit via. Et ratio de deliberatiuis
ac iudicialibus cumque melior ac ciuitatibus utilior deliber-
atiua preceptio sit quam iudicialis de illa nichil de hac plu-
rima tradere conantur. Minus enim in deliberationibus
conducit preter rem dicere. Minusque malitie deliberatio
habet quam vnisdicio iurisdictio cum sit communis. Hic enim
de suis qui audit iudicaturus est. Itaque nichil aliud demo-

iudicibus